

IN PSALMODIAS

DN. M. CHRISTOPHORI THOMÆ WALLISERI, MUSICI PRÆSTANTISSIMI.

I.

**I**Te procul pestes anime, suraq, metusq,  
 Mæror & anxietas, crux anime, ite procul.  
 Concipimus præsens nostra in præcordia numen,  
 Et vitam & vite larga alimenta nova:  
 Cum canimus carmen deductum ex monte Sionis  
 Manat ubi ætheria fons opulentus aque.  
 Plus tamen hoc virtutis habet: cum verba modiq,  
 Concinnant habitu versicolore melos.  
 Extranos quasi tum rapimur, cæloq, locatos  
 Remur & Angelicos nos agitare choros.  
 Isai des illud divino carmine præstat,  
 Hoc nobis melica WALLISER arte parat.  
 Ergo posteritas si post nos ulla futura est  
 WALLISERO dignum hoc conferet Elogium:  
 Utile qui dulci, pietatem miscuit arti,  
 Arte nec hoc major, nec pietate fuit.

Justus Mejerus D. ac Professor.

II.

**I**osquinum laudent alij: venerentur ad aram  
 Utut velint Marentium:  
 Orlandū & socios vel super astra locent:  
 Hic mihi præ reliquis est Walliferus ARION.  
 Qui suavi harmoniâ tot sacras vestijt Odas:  
 Qui tot aphorismos Biblicos:  
 Qui vario Psalmos dat resonare modo;  
 Qui toties anno facit exultare Theatrum!  
 Est aliquid simili studio placuisse cohorti:  
 Sed hic; Epulas seu Funera:  
 Sive Aulas spectes: Tépla, Theatra, Scholas:  
 Omne suâ punctum fert Walliferus in arte.  
 Hoc opus, hic labor est, scito tam plurima cātu,  
 Cùm voce vivâ, tum Organo,  
 Suavia quæ cuivis & gravia esse queant;  
 Structurâ facili celerem condire susurrum!  
 Iosquinum laudent alij: venerentur ad aram  
 Utut velint Marentium;

Orlandū & socios vel super astra locent:

Hic mihi præ reliquis est Walliferus ARION.

Andreas Saurius: Cobusianus: Lusa-  
 tus: Dynast. Weluvartensis Præfectus  
 generalis in Essingen. &c.

III.

**A**Re ciere viros, Martemq, accedere cantu  
 Belligeratorum turba cruenta solet.  
 WALLISERU S quantum potius modulamine  
 (prestat;

Post se voce piâ qui ciet ipse Deum.  
 Cælestes animas concentibus æra jures  
 Pulsare; imò ipsos voce sonare polos:  
 Usq, adeò numeris sublimi lege ligatis;  
 Usq, adeò Harmonia pectora nostramovet,  
 Gutturè nunc alij blandos joculentur amores;  
 Aut fingant, quorum non bonus usus eget:  
 Totus is in Domini celebranda laude manebit:  
 Atq, Deo reddet, quod fuit ante Dei.

Tâta est WALLISERI in Terris & Musica talis:  
 Proh! quantain Cælis Musica, qualis erit?

Collega sincero posuit affectu sincero  
 M. Ioannes Paulus Crusius, Prime  
 Classis Præceptor.

IV.

**W**ALLISERI ut nuper IESSÆUM Heliconia  
 (turba  
 Audijt harmonicâ voce sonare MELOS:  
 Quid sic statis (ait) silvæ? quid saxa? quid undæ?  
 Dulcisonæ Delphin artis amator ades!  
 Totius ARGYROPE DECUS indelebile mundi,  
 HARMONIÆ summum continet illa DECUS.  
 WALLISER Amphion, Orpheus, Thamyrasq;  
 (secundus!

ARGYROPE ô tanto nobilitata viro!

WALLISERE ô tantâ nobilitate plagâ!

M. Casparus Brüllovius Pyricensis  
 Potmeranus.